

illi: Vbi domine? Qui dixit illis: Vbi cunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.] Et hoc loco repentinum & inopinatum eius aduentum discimus. Duos enim esse in lecto, significat sollicitudinis carentiã. Et molere quoq; inexpectatũ significat aduentum. Discimus & aliud quiddam, quod in nocte aduentus erit. Dicit igitur, quod ex diuitibus qui in lecto quiescent, alij quidem saluabuntur, alij autem non. Nam quia dixit, quod difficile diuites saluantur, ostendit nunc quod neq; hi pereunt, neq; pauperes omnes saluantur. Sed & ex diuitibus unus assumitur in occursum domini, raptus quasi leuis spiritu, & celestis; & alius relinquitur infra ut condemnatus. Et ex pauperibus similiter, quos per molentes significauit. Quoniam per pistrinum, laboriosam pauperum uitam insinuat: unus quidem saluabitur, alius autem non. Non omnes pauperes iusti. Nam ex illis fures & maris superiorum incisores. Quum autẽ rogassent discipuli, quod domine assumentur illi: dixit: Vbi corpus, illic & aquilæ: hoc est, ubi filius hominis, illic & sancti eius leues & in sublime uolantes: sicut peccatores graues, qui & infra relinquentur. Nam sicut proposito corpore mortuo omnes carniuoræ uolucres aduolant, ita & ubi filius hominis propter nos mortuus, & in casum positus, de coelo apparuerit, omnes sancti subuehantur futuri & ipsi angeli. Cũ illis enim ueniet in gloria patris, & in splendore indicibili: licet noctem uocarit tempus illud, eo quod repentinum & inopinatum, uel quia tenebris inuoluentur peccatores. Iustis enim lux orietur, immo ipsi magis fulgebunt quàm sol.

CAPVT XVIII.

Ecc. 18.
1. Thess. 5.



Icebat autem & parabolam ad illos huc spectantem, quod oporteret semper orare, nec defatigari, dicẽs: Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui deum non timebat, nec hominem reuerbatur. Vidua autem quedã erat in ciuitate illa, & ueniebat ad eum, dicens: Vindica me de aduersario meo. Et nolebat aliquandũ. Post hæc autem dixit intra se: Quanquã deũ non timeo, nec hominem reueor, tamen quia molesta est mihi hæc uidua, uindicabo illam, ne tandem ueniens fugillet me. Ait autem dominus: Audite quid iudex iniquus dicat. Deus autem non faciet uindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, etiam quum patiens fuerit super illis: Dico uobis, quod faciet uindictam illorũ cito. Veruntamen filius hominis quum uenerit, an reperturus est fidem in terra? Postquã mentionem fecit afflictionum & periculorum, nunc subdit quomodo in illis saluemur. Curantur enim oratione perseuerante & sollicita. Nam uentura sunt hæc omnia. Magnum enim auxilium in his fert precatio, modò perseuerans sit & continua. Oportet em̃ nos cõsiderare q̃modo iniusti iudicẽ, pertinaciã sedulitas uiduæ fregerit. Si em̃ illũ omni malitia repletum, neque deos, neque homines reuerentem, perseuerantis oratio demulsi: quanto magis nos patrem misericordiæ deum ad miserationem mouemus, etiam si tardet non nihil: Vide autem, maioris malitiæ indicium esse, neque homines reuereri. Deum enim multi non timent, attamen homines reuerentur, ideo & minus peccant: quando autem & apud homines quis impudens fuerit, tunc omnis malitiæ uertex uidetur. Idcirco & dominus postea posuit, neque hominem reuerens, quasi hoc dicens: Iudex erat deum non timens. Et quid dico quod deum non timuerit, maius malitiæ indicium habuit: quia neq; hominem reuerbatur. Porro hæc parabola nos docet, quod sæpe dicimus inter exhortandum, ne excidamus è precibus. Sanè sicut alibi dicit: Si quis uestrum amicum habens, & quum uenerit & pulsauerit nocte, dimittitur. Nam propter impudentiam eius, si nõ propter aliud, aperiet. & iterum: Quis ex uobis, à quo si filius eius panem petat &c. Quibus sollicita ac perpetua oratio præscribitur. Attentarunt quidam curiosius parabolam hanc exponere. Viduam enim dicunt omnem animam esse, uirum autem dimisisse quem prius habuit, diabolum: & propterea illum habet aduersarium semper resistentẽ sibi. Ipsa autem accedit ad deum iudicem iniustitiæ, hoc est condemnantem iniustitiam, qui neque deum timet: ipse enim deus solus nõ habet quem timeat alium. Sed neque hominem reueretur: deus enim personam hominis nõ

nis non recipit. Huic uidetur, quæ dum orat continuis precibus propter aduersarium suum diabolum, miseretur deus, & placatur propter alliduitatem eius. Hæc, qui uolet, & cui placent suscipiat. Proposita enim sunt, ut non ignorentur. Atqui dominus hæc nos docuit, eo quod oporteat semper orare: & per exemplum indicaui quod etiam si esse iniquus & omni macula plenus, misereretur ob continuas nostras preces: quanto magis deus omnis iustitiæ dux, non faciet breui uindictam? quamuis differat & uideatur non audire orantes die ac nocte. Itaque qui docuit & monstrauit nobis, quod in tempore consummationis seculi opus sit oratione, ut in futuris periculis durare ualeamus, subdit: Nunquid filius dicit inueniri fideles. Intantum enim inualefcet filius iniquitatis, ut possibile sit, quod seducat & electos. In raris enim solet huiusmodi interrogandi figura uti, sicut & quum dicit: Quis putas fidelis & prudens seruus? Atque hoc loco idem significans, quod pauci numero erunt, qui erga deum & inter se fidem seruabunt, hac interrogatione usus est. Merito autem sermoni de oratione sermonem de fide connexuit, quoniam omnis orationis fundamentum ac basis est fides. Nisi enim crediderit homo, quod hoc quod petet accepturus sit in suam utilitatem, uana est oratio quam facit. Et propterea dominus de oratione docens, etiam fidei meminit: declarans interim, paucorum fore tunc orare: quandoquidē fides in paucis inuenietur. Igitur quum uenerit dominus in nube, non inueniet fidem super terram, nisi in paucis: faciet autem hanc tunc. Inuiti enim omnes confitebuntur quod dominus Iesus Christus in gloriam dei patris: siquidem uocanda est hæc fides, & non magis necessitas. Nullus enim erit infidelium, qui non credet quod solus sit saluator, is quem antea blasphemarat.

Dixit autem & ad quosdam, qui in se confidebant, quod essent iusti, & aspernabantur ceteros, parabolam istam. Duo homines ascendebant in templum, ut precarentur: unus pharisæus, & alter publicanus. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quod non sum sicut ceteri homines, raptores, iniusti, adulteri, uelut etiam hic publicanus: ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Et publicanus procul stans, nec oculos uolebat ad cælum attollere, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Dico uobis, descendit hic iustificatus in domum suam, magis quam ille. Quia omnis qui se extollit, humiliabitur: & omnis qui se humiliat, extolletur. Non cessat dominus pluribus argumentis repurgare superbiam uitium. Plus enim alijs uitijs mentem humanam turbat, propterea sæpe & multum de hac docet. Denique & nunc peiorem eius speciem purgat. Multi enim sunt philantiæ germina. Opinio de se magna, arrogantia, & inanis gloriæ cupiditas ex hac pullulant. Perniciosior autem est omnibus alijs superbia, quæ abominatio apud deum est, quum quis non deo, sed sibi sua bona opera tribuit: quid hoc aliud quam negare deum est, & ei aduersari? Hoc igitur uitium, cui dominus ita aduersatur, ut inimicus inimico, hac parabola medicari dominus promittit. Propter hoc enim quod confidunt in se ipsis, & non totum deo tribuunt, sed alios per hoc exinaniunt, hæc dicit: & ostendit, quod iustitia, quamuis alioqui sit mirabilis, & hominem deo proximum constituit, quum superbia admiserit, hominem in locum infimum reijcit, & demonem reddit, qui iam se æqualem deo facit. Similia itaque sunt uerba pharisæi ab initio, grati hominis sermonibus. Gratias enim habeo tibi (inquit) deus: at cetera quanta referta sunt arrogantia? Non enim dixit, fecisti me abstinere ab iniustitia & a rapina, sed quomodo? Non sum. Sibi ipsi attribuit bonum opus & suo robori. At alios iudicare, quomodo est hominis scientis quod à deo habeat quæ habet? Omnino enim si credidisset, quod per gratiam haberet aliena bona, non contempsisset alios, considerans quod & ipse æque nudus esset, quantum ad suam uirtutem attineat. Gratis enim indutus est propter misericordiam: propterea superbus pharisæus, tanquam propriæ ascribens potestati ea quæ dicta sunt, & inde eò progressus est, ut & alios iudicet. Ostendit autem dominus & per iterationem, superbiam eius & humilitatis inopiam. Humilis enim uiri est & aspectu humiliari: hic autem & habitu & gestu superbus agnoscitur. Quamuis autem & de pu-

blicano dictum sit quod steterit: sed uide & quæ sequuntur, quod neque oculos in cœlum uoluerit extollere, unde statio eius incuruata erat. Illius autem & oculi in cœlum extollebantur, & cor simul extollebatur. Vide autem & in oratione pharisæi ordinem qui indicet nobis, primum quidem quod dixerit id quod non erat, & tunc enumerauit quæ erant. Dixit enim: Non sum, sicut multi hominum. Illa autem & illa apposuit, quæ uirtutis erāt, ut ieiunare bis in sabbato, & decimas dare de oibus q̄ possidebat. Oportet enim non solum declinare à malo, sed & facere bonum. Et prius oportet abstinere à malo, & postea uirtutē aggredi. Quemadmodum & fonte turbato, ut aqua pura defluat, prius lutum expurgandum, ut haurias puram aquam. Consydera autem & hoc, quomodo non arripuerit paruū uerbum, ut singulari nomine diceret: sed plurali numero in multos hæc expuerat, dicendo: quia non sum ut adulteri: apposuit, & dixit: ieiuno bis in sabbato, hoc est bis in hebdomada. Sabbatum enim hebdomas est, quæ à consummatione & quieto die nominatur. Sabet enim quies: Sabbata autem hebdomadam dixit plurali numero. Vnde & unam sabbatorum, primam diem hebdomadæ, quæ apud nos est dominica, uocabant. Apud Hebræos enim unum & primum idem signat. Est & alius profundior sermo. Nam cōtra adulterium gloriabatur de ieiunio: à delicijs enim petulantia. Ipse igitur corpus propter ieiunium compescens, à multis eiusmodi affectionibus liber erat. Ieiunabant autem pharisæi secunda & quinta. Contra rapinam & iniustitiam proferebat dationem decimarum omnium quæ possidebat. Tantum (inquit) contrarius sum rapinæ & iniustitiæ, ut & quæ mea sunt expendam. Decimarum enim datio uidetur quibusdam simpliciter, & semel de lege prædicari: his autem qui profunde scrutantur, occurrūt tres decimarum dationes, quas introducit id quod ex Deuteronomio discas, si diligēter intuearis. Et hæc quidem pharisæus. At publicanus diuersa. Longe enim stabat à pharisæo, & gestibus, & sermone, & compunctione cordis distabat ab illo, non tantum loco. Verebatur enim oculos in cœlum extollere, indignos iudicans qui sursum spectarent, qui uoluerant uidere bona terrena, & illis frui. Et percussit pectus suum, cor uidelicet propter malas cogitationes, & ut excitet quod obdormierat, & nihil aliud dicebat, quam, Deus propitius esto mihi peccatori. Et ppter hæc omnia descendit iustificatus in domum suam, magis quàm ille. Immundus enim apud dominum omnis superbus corde. Et dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Verum admirabitur quis, quomodo superbus quum pauca uerba humilitatis pronunciauerit, condemnatur: Iob autem quū multa de se magnifice dicat, coronetur. Quia pharisæus quidem nullo cogente, stat talia nugans & condemnans, alio nullo usu urgente: Iob uero prementibus se amicis, & grauius incumbenibus quàm calamitas ipsa, dicentibus quæ qd' propter peccata illa sit passus, compulsus est enumerare sua opera, idq̄ propter gloriam dei, ne scilicet homines à recto uirtutum cursu exciderent. Nam si comperissent homines, peccata fuisse quæ fecerat Iob, & propter illa passum, cauissent ne eadem facerēt, factiq̄ in super fuissent ofores hospitum, & inhospitales, immisericordes, & iniusti. Hæc enim erant opera Iob. Igitur ne multi inde incommodarentur, eius gratia bona opera enumerat. Et causæ quidem Iob tales fuere, ut ne dicamus quod & in his quæ grandiloquentiam quandam sonāt, non omnis refulgeat humilitas. Quis enim me dabit (inquit) iuxta menses dierum pristinorum, quādo deus me custodiebat. Vides quod omne deo obtulerit, & non condemnet alios, sed ipse ab amicis condemnatus. Pharisæo omnia in se, & non in deum referent, & absq̄ necessitate condemnanti alios, meritò cōdemnatio ascribitur. Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur, deo illum condemnante. Qui autē se condemnando humiliat, exaltabitur à deo iustificante. Dic igitur tu prior peccata tua, ut iustificeris.

Afferebant autem ad eum & infantes, ut eos tangeret. Quod quum uiderent discipuli, increpabant illos. Iesus autem quum illos ad se uocasset, dixit: Sinite pueros uenire ad me, & nolite uetare eos: talium est enim regnum dei. Amen dico uobis: quicumq̄ nō acceperit regnum dei ueluti puer, non intrabit in illud. Et ad humilitatem conducit etiam hoc de pueris exemplum. Docet enim dominus per illos omnino humiliter agendum,

dam, & omnes suscipiendos. Discipuli enim indignum arbitrabantur ad talem magistrum offerri pueros. At ille ostendit usque adeo sectandam humilitatem, & etiam minus non abiiciendos. Et sic quidem docet humilitatem opere suo. Non enim amandat, sed suauiter amplexatur infantes. Docet autem & per sermonem, quod regnum celorum est eorum qui similiter affecti sunt, ut pueri. Puer non inflatur, neque aliquem contemnit: innocens est, simplex, neque in prosperis molestus fit, neque in tribus deijcitur. Unde qui uiuit in omni humilitate & simplicitate, innocentiaque, ille deo acceptus est: & qui accipit regnum dei sicut puer, hoc est absque dolo & curiositate, sed fideliter. Curiosus enim, & semper interrogans quomodo ab incredulitate liberetur, non intrabit in regnum, quod noluit simpliciter & sine curiositate & humiliter suscipere. Omnes itaque apostoli, & in summa omnes credentes in Christum uocantur pueri. Quia & ipse dominus apostolos nominauit pueros, dicens: Num quid opsonij habetis? Sapientes autem gentilium, sapientiam in mysterio quaerentes, quod est regnum dei, & nolentes accipere absque ratione, merito exclusi sunt ab hoc regno. Non dixit autem, Horum est regnum: sed, talium, qui uoluntarie possederunt innocentiam & humilitatem, quam puerinatura habent. Suscipiamus igitur omnia illa ecclesiastica, quae sunt regnum dei, fideliter, absque curiositate & humiliter. Curiose enim inquirere, superbiae fuerit & sapientiae gloriose.

Et interrogauit eum quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciendum mihi, ut consequar uitam aeternam? Dixit autem ei Iesus: Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi solus deus. Praecepta nostri: Non committes adulterium, non occides, non facies furtum, non falsum testimonium dices: honora patrem tuum & matrem tuam. At ille ait: Haec omnia seruauit a iuuentute mea. Quo audito, Iesus ait ei: Adhuc unum tibi deest: Omnia quaecumque habes, uende, & distribue pauperibus, & habebis thesaurum in caelo, & ueni sequere me. His ille auditis, moerore affectus est, quia diues erat ualde. Videtur ille homo quibusdam malignus quispiam esse, & illaqueare quaerens Iesum in sermone. Non est autem hoc uerisimile, sed auarus erat. Quoniam & Christus eum quia talis erat, arguit. Etenim & Marcus dicit, quod accurrerit, & genuflexerit, & obsecrauerit Iesum: & quod Iesus ipsum aspexerit, & dilexerit. Igitur diuitiarum amator erat homo ille. Accedit autem ad Iesum discere cupiens de uita aeterna, fortassis & in hoc diuitiarum sectator. Nihil enim ita uitae cupidum est, ut homo diuitijs studens. Suspicebatur igitur Iesum indicaturum sibi modum quempiam, quo diuitiarum possessione perpetuo frui possit. Postquam autem dominus dixit diuitiarum abiectionem conferre ad uitam aeternam, quasi suam reprehendens interrogationem, & Christi responsum, abiit. Ipse enim, quia habebat multas diuitias, multum quarebat uitam perpetuam. Verum quum renuntiandum esset diuitijs, quid opus illa aeterna uita, ut uidebat? pauper enim agenda fuisset uita. Proinde accedit ad Christum, ut ad simplicem hominem & doctorem. Idcirco & dominus demonstrans, quod non oporteat ad ipsum accedere ut purum hominem, dixit: Nullus bonus, nisi unus deus. Bonum (inquit) me dixisti, cur igitur adiecisti, praceptorum: uideris enim quod me quasi unum ex multis habeas. Quod si sic, non sum bonus. Nullus enim hominum bonus proprie, nisi deus. Quod si bonum me dicere uis, ut deum me bonum dicas, nec accedas ut ad simplicem hominem. Si enim me communem quendam hominem putas, ne uoces bonum. Deus enim uere bonus & fons bonitatis, & principium substantialis bonitatis: nos autem homines, licet boni simus, non tamen proprie, sed participes bonitatis illius, promiscuam habemus bonitatem, mutabilesque sumus. Nosti praeccepta, Non committes adulterium, non occides, &c. Prius lex corrigit ea, in quae facile cadimus, deinde & ea in quibus non multi, neque saepius: uti est adulterium committere, quia ignis naturalis & internus. Occidere, quia mala bestia est ira. Furari leuius est, & in falsum testimonium rarius inciditur. Ideo & illa quidem prius corriguntur, eo quod facile in illa prolabamur, quamuis alioqui grauiora sint. Haec autem, furtum dico & falsum testimonium, secundo loco ponit: ut quae rarius contingant & leuiora sint. Porro in parentes peccare, quamuis sit grande peccatum, ueruntamen rarius contingit. Non enim

Iod. 21.

Exod. 10.

Marc. 10.

facile inuenitur, qui ita bestialibus moribus sit, ut in parentes debacchetur: pauci enim sunt, raroq; fit, & ideo posterius ponit. Postquam autem adolescens se omnia hæc seruasse dixit à iuuentute, præscripsit ei dominus paupertatem, caput omnium uirtutum. Vide autem legem Christiana uita dignam. Omnia quaecumq; habes, inquit, Nā si quid reliqueris, illius seruus es. Et distribue: non diuitibus cognatis, sed pauperibus. Habet autem & distribuēdi uerbum emphasin quandā, ut cū diiudicatione, & nō fortuito dispergant bona. Quoniam autem cum paupertate & alias habere uirtutes Christianum oportet, propterea dicit: Et ueni, sequere me: hoc est, & in omnibus alijs esto discipulus meus, & semper sequere, non hodie quidem, cras autem non. Vt autem auaro promissum sit coelestem thesaurum, non attendit ille, seruus enim erat pecuniarum: ideo & ut audiuit, abiit tristis, eo quod possessionis priuatio esset ei dicta, propter quam ipse æternam uitam desiderat, quo possit perpetuò diuitijs frui. Caterum & tristitia arguit eū beneuolum & malignum fuisse. Nullus enim pharisæorum unquam tristis abiit, sed exasperatus potius. Non ignoro autem, quod magnum luminare mundi Chrysostomus adolescentem hunc uere æternam uitam desiderasse putarit, & de ea rogauerit, laborasse autem difficiliore morbo auaritiæ. Nihilominus nō caret gratia, quod nūc adiectum est, quod desiderauerit æternam uitam, quamuis auarus fuerit.

Videns autem Iesus illum mœrore affectū, dixit: Quam difficile qui pecunias habent, in regnum dei intrabunt. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum dei. Et dixerunt qui audierant: Et quis potest saluus fieri? At ille ait: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud deum. Ait autē Petrus: Ecce nos reliquimus omnia, ac secuti sumus te. Qui dixit eis: Amen dico uobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut liberos propter regnū dei, qui nō recepturus sit multo plura in hoc tempore, & in seculo uenturo uitam æternam. Postquam diues audiuit abiiciēdas diuitias, mœrore affectus est. dicit dominus admirabili figura, quomodo difficile sit habentes pecunias in regnum celorum ingredi. Non dixit quod impossibile sit eos ingredi, sed difficile. Non enim impossibile est saluari tales: possibile enim expēdere pecuniam, & superna assequi. Et difficile quidē hoc. Tenaciores enī uisco adhærēt pecuniæ, & difficile abstrahitur qui talibus est cōprehensus. Non multo autem post subiicit, quomodo impossibile sit: dicit enim, Facilius esse camelum per foramen acus intrare, quam diuitē saluari. Impossibile enim est, quod totum camelum capiat foramen acus: Siue per camelum animal intelligas, siue funem nauticum crassum. Si igitur facilius camelum per foramen acus transire, quam saluari diuitē: impossibile & hoc: impossibilius igitur saluari diuitem. Quid igitur dicēdum? Primum quidem, quod uere sic habet, Impossibile saluari eum, qui diues est. Ne enim mihi dicas, quod saluatus sit diues quispiā, qui sua dederit: nō enim diues saluatus est, sed quia pauper factus, uel dispensator existens, seruatus est, non diues. Aliud enim est dispensator, aliud diues. Diues enim est, qui sibi reſeruat diuitias: dispensator uero, cui conceditæ sunt propter alios. Et ita etiā hic, si saluatus est, nō diues saluatus est: sed (ut diximus) quia omnibus renunciauit quæ habuit, uel ut dispensator, bene illas distribuit. Insuper & hoc animaduerte, quod diuitem quidem impossibile est saluari: pecunias autem habentem, difficile. quasi diceret: Qui habetur & tenetur à pecunijs, ac seruit eis, non saluabitur: qui uero pecunias habet, hoc est dominus illarum est, & ipse habet eas, & non habetur ab eis, difficile saluabitur propter humanam infirmitatē. Impossibile enim est non abuti his quæ habemus. Quippe quandiu pecunias habemus, molitur diabolus nos supplantare, ne regula dispensationis recte utamur, & difficile est effugere eius laqueos. Et propterea bona est paupertas, & quasi tentatione superior. Dixerunt autem (inquit) hi qui audierant: Quis igitur poterit saluari? At ille dixit: Quæ impossibilia apud homines sunt, possibilia sunt apud deum. Qui enim habent mentem humanam, quæ ad inferiora uergit & terrena desiderat, saluari non possunt, sicut dictum est. Deo autem possibile: hoc est, quando quis consiliarium habet deum, & iustificationes dei, & mandata magistri de paupertate suscipit, & illius inuocat auxilium. Possibile enim est hoc. Nostrū est enim

enim uelle hoc, dei autem perficere. & aliter: Siquidem transcenderimus humanam illā infirmitatem diuitum, & uoluerimus nobis facere amicos ex mammona iniquitatis, saluabimur per eas, & recipiemur in aeterna tabernacula. Nam melius quidem fuerit dimittere omnia. Hoc autem si minus, saltem facere partiaros pauperes, & sic impossibile fiet possibile. Impossibile quidem esset non omnibus dimissis saluari: ueruntamen & est propter misericordiam dei, si partes dederimus in usum congruum. At hic Petrus interrogat: Ecce nos reliquimus omnia. interrogat autem non pro se solo, sed ad consolationem omnium pauperum. Vt enim ne soli diuites bonam spem habeant se multa consecuturos, qui multū reliquerint: pauperes autē paruam spem habeant, quod pauca reliquerint, & propterea paruas retributiones habituri sint: Omnis igitur (inquit) qui propter deū contēpserit facultates, etiā si paucae sint. Non enim hoc consideres, sed quod parua haec homini totus uictus fuerint. Et sicut tu multis & magnis, ita ille paucis & paruis depauperari expectat. Vt ne dicas, quod qui pauca habet, maiori ad illa teneatur affectione: idē manifestum ex patribus, qui quando unum habent puerum, maiorē erga illum affectionem gerunt, quā erga plurimos. Ita & pauper unam domum & unū agrum impensius diligit, quā tu multa: quod si nō, certe uel eadem utriusq; est affectio, & propterea idem & cōtemptus. Hic sanē & in hoc seculo praesenti multiplices accipiunt retributiones, sicut apostoli illi. Tuguriola quidē reliquerant illi omnes, & nunc habent fulgentissima templa, & res familiares, & agros, & uxores multas, quae illis feruore fidei adherent, aliaq; omnia in futuro seculo: nō agros inquam tales multiplices, & corporales retributiones, sed uitam aeternam.

Assumpsit autem Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymā, & consummabunt omnia quae scripta sunt per prophetas de filio hominis. Tradet enim gentibus, & illudetur, & contumelijs afficietur, & conspuetur: & postquā flagellauerint, occident eum: & tertia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt. Et erat uerbum istud absconditum ab eis, nec intelligebant quae dicebantur. Prædicit eis passionem, propter duo illa. Vnum, ut ostendat quod non inuitus, neque ut purus homo mortem ignorans, crucifigatur: sed & praeuideat, & uoluntariō patiatur. Nam si nolisset pati, deuitasset utiq; quae praesciebat. Eorum enim qui non sunt praescij, est capi. Secundū, ut doceat eos leuiter ferre quae euentura, utpote qui antea audiuerint, & nō repente in illa inciderint. Quum autem perficienda erant in te quae dicta à prophetis, cur ascendis o domine: Propter istucipsum, ut salutem operer: & ita uoluntarius uadit. Et ipse quidem haec discipuli autem tūc quidem nihil intellexerunt. Erat enim uerbū hoc absconditum ab eis, & maxime omniū uerbum hoc resurrectionis omnino non agnoscebant. Et alia quoq; non agnoscebant, ut tradi gentibus: maxime autem uerbum resurrectionis ignorabant, quod non erat in usu. Et nō omnes Iudaei credebant resurrectionē, in primis Sadducei. Sed dixeris: etsi nihil agnoscebāt, quare ergo eis haec praedicit? Quid opus illis ad consolationem eius in tempore crucis, si non intelligebantur quae dicuntur? Quod non parum utilia postea commemorare coepta fuerint, quae tunc praedicente domino non intellexerunt, manifestum ex multis, & maxime ex his quae Ioannes dicit: Haec autem non cognouerunt discipuli eius: postea autem memores facti sunt, quod haec de ipso essent scripta. Et spiritus paracletus suggessit eis omnia, certissimum testimonium de Christo in illis ponendo. De eo, quomodo triduo fuerit in sepulchro, satis dictum est in euangelistis alijs.

Accidit autem quum appropinquaret Hiericho, caecus quidam sedebat iuxta uiam, mendicus: & quum audiret turbam praetereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod Iesus Nazarenus transiret. & clamauit dicens: Iesu fili David miserere mei. Et qui praebant, increpabant eum ut taceret. Ipse uero multo magis clamat: Fili David, miserere mei. Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se. Et quum appropinquaret, interrogauit illum, dicens: Quid tibi uis faciam? At ille dixit: Domine, ut uisum recipiam. Et Iesus dixit ei: Recipito uisum. Fides tua te saluum reddidit. Et confestim uisum recepit, ac sequebatur illum, glorificans deum. Et omnis plebs ut uidit, dedit laudem.

Io. 11. 127

Io. 11. 14.

deo.] Dominus miraculum hoc cæci obiter in uia operatus est, ut & transitus eius nobis utilis esset, ac doctrina: ut ubique & semper, & apud omnes utiles simus, & nunquam ignaui. Cæcus igitur credens eum esse Christum, qui expectabatur (uerisimile enim fuit ipsum, utpote innutritum Iudaicis, non ignorasse Christum ex semine Dauid) uoce magna clamat: Fili Dauid, miserere mei. Et dicendo, miserere mei: declarat, quod diuiniorē quandam de illo sententiā habeat, & non hominem purum censeat. Admirare autem quæso, quomodo confessionem suam multiplicet. Quomodo: quamuis multi increparent eum, non tacebat, sed amplius clamabat. Feruor quidam intrinsecus instimulabat eum: idcirco & Iesus iussit illum adduci ad se, quod profecto dignus esset, qui appropiaret ei. Interrogat autem illum, Quid uis, ut tibi faciam: non ut ignorans, sed ne uideatur presentibus ille alia petere, ipse alia dare: & dum ille petit pecuniam, ipse, ut ostentator, cæcitatem sanaret. Nam fortassis insipienter talia fingere posset inuidia. Propterea quū interrogasset & inuenisset eum recipiendi uisus ualde cupidum, dat quod petit. Vide autē quā alienus sit ab arrogantia. Fides tua, inquit, saluum te fecit: credidisti enim quod ego sum ille filius Dauid qui celebretur Christus, & tantum præ te tulisti feruorē, ut quamuis increpare, non silueris. Discamus autem ex hoc, quod quando cū fide petimus, & alia quidem nos petimus, & alia ipse dat, sed illa ipsa. Atq; ita quoties alia petimus, & alia accipimus: manifestum, quod nō bene, neq; fideliter petimus. Petitis em̄ inquit, & non accipitis, eo qd̄ male peratis. Vide insup & potestātē: Recipe uisum, inqt. Et quis pphetarū ita sanauit: Tali inquā potestate. Vnde & lumē cæco facta est uox à uero lumine pgressa. Vide insup & gratitudinē eius q̄ sanat est. Sequutus est em̄ Iesum, glorificans deū, factusq; est & alijs glorificandū deū author,

CAPVT XIX.



Transgressus perambulabat Hiericho. Et ecce uir nomine Zachæus, atq; is princeps erat publicanorū, & idē erat diues, & quærebat uidere Iesum q̄s esset: nec poterat præ turba, quod statura pusillus esset. Et præcurrēs, ascendit in arborē caprificū, ut uideret eū: nā illac erat transiturus. Et quū uenisset ad locū, suspiciēs Iesus, uidit illū, dixitq; ad eū: Zachæe festinans descende: quia hodie domi tuæ oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Quumq; uiderent, omnes murmurabant, dicētes, quod ingressus esset, apud hominem peccatorē diuersaturus. Stans autē Zachæus, dixit ad dominū: Ecce dimidiū bonorū meorū domine do pauperibus: & si quid aliquē defraudauit, reddo quadruplū. Ait Iesus ad eū: Hodie salus domui huic contigit, eo quod & ipsa filia sit Abraham. Venit em̄ filius hominis quærere & seruare quod perierat.] Hæc fortissima diaboli uasa rapit dominus, sed & Zachæū principē publicanorū captiuū ad salutem recipit. Quod publicanus quidē res abominabilis, princeps aut publicanorū multo magis, utpote in malitiā princeps, nullus dubitat. Victū enim publicani non aliunde, quā ex pauperū lachrymis habent. At neq; publicanorū ille princeps despicitur, sed solā dat alacritatē, & recipit mercedē. Desyderabat enim uidere Iesum. Et quū ascendisset in caprificū, priusquā uideret, prius ipse spectat à Iesu. Sic igit̄ omnibus in locis præuenit nos dominus, tantū nos alacres & promptos uideat. Vt autem eum uidit Iesus, festinat descendens, eo quod in domo eius mansurus erat. Et ille non erat segnis. Vnde & nos oportet paratos esse, quando Christus quippiam imperat. Sed & descendit, & suscipit gaudens, etiā si multi obmurmurent. Videamus autem & quantum utilitatis accipit in ingressu Christi. Dimidiū bonorum meorū (inquit) do pauperibus. Vides alacritatem? Non parce seminare cœpit, neq; pauca quædam dedit, sed totā uitam: & illa ipsa quæ iuste possidebat, eo quod habebat quæ dare poterat his, quos iniuria affecerat. Docet enim nos, nullum esse lucrum, si quidem habens ex iniustitiā pecunias, alijs misereatur, relictis illis quos iniuria affecerat. Et uide, quomodo in hoc se gerat. Quadruplū reddit, si quē defraudauit, ut illius cui iniuria facta, damnū refarciat. Hæc enim uera eleemosyna est, ut nō reddat solum